



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

10. Religio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

& equali, cuique quod debeo. S. Bernard.

111. Beati, qui custodiunt iudicium,
& faciunt iustitiam omni tempore. Psal.
105. 3.

PASSUS X.

Religio.

TEXTUS.

*Dominum DEUM tuum ad-
rabis, & illi soli servies.
Deut. c. 6.*

Cognitio.

Religio est virtus, quâ Deo, tanquam
omnium Creatori, ac Domino debitum
cultum exhibemus.

Actus ejus sunt:

1. *Honor Dei*, quo altam de eo æstima-
tionem concipimus, & quemadmo-
dum creaturam decet, Ei ut Creatori
nos submittimus.
2. *Devotio*, seu promptitudo mentis ad
omnem Dei cultum & obsequium.

3. Ora-

3. Oratio , seu petitio , seu mentis elevatio in Deum , & Sanctorum invocatio.
4. Adoratio , quâ nos coram Deo tanquam summa Majestate , corpore & mente prosternimus.
5. Sacrificium Missæ , quo Corpus & Sanguinem Christi , Deo offerimus.
6. Administratio & susceptio Sacramentorum. Exhibitio oblationum , primitiarum & decimarum.
7. Varii actus virtutum , ut votum , juramentum , obsecratio , laus Dei , gratitudo , aliisque actus virtutum tam Theologicarum , quàm Moralium , quos Religio potest in divinum honorem referre , & ad dandum ei cultum assumere.

Consideratio.

O quem tanta Religionis nobilitas , præstantia , & utilitas , ad eam crebrò exercendam non impellat ? Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est , visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum , & immaculatum se custodire ab hoc saculo , ait S. Jacobus Apostolus in Epist. c. 1. 27. Quid excellentius , melius , diviniusque excogitari potest , quàm aliis benefacere , solatium impertiri , & alienis mi-

miseriis succurrere? Quid homini utilius, Deoque acceptius, quàm *se immaculatum custodire ab hoc seculo*? Id est, moribus sæcularibus omnino renuntiare, ac peccata tam carnalia, quàm spiritualia, pro viribus devitare? O si id præstarem, quàm putas in oratione manus ad Te levarem? Quàm grata tibi sacrificia offerrem?

Petitio.

Præsta, obsecro, Domine, in me religionis augmentum, quàm maximum, ut mundus & immaculatus, manus mundas in oratione ad Te levem; summum, quem possim, honorem Tibi exhibeam; singulari devotione Tibi serviam; Te colam, Te adorem, sacrificium offeram, sacramenta administrem, vota mea reddam, laudes & alios virtutum actus depromam, ad gloriam tuam sempiternam. Amen.

Aspirationes.

I. *Voluntariè sacrificabo Tibi, & confitebor Nomini tuo, quoniam bonum est. Psal. 53. 8.*

II. *Deus meus, Refugium meum, & Liberator meus, suggere, qua de Te cogitem; doce, quibus Te sermonibus invocem; da, quibus operibus Tibi placeam. S. August. Med. c. 2.*

III. Deus virtutum, præsta in nobis religionis augmentum!

PASSUS XI.

Pœnitentia.

TEXTUS.

Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cœlorum. Matth. c. 3. 2.

Cognitio.

Pœnitentia est virtus; quâ peccata nostra, ut sunt Dei offensæ, detestamur; & eadem efficaciter expiare, ac deinceps cavere statuimus.

Actus sunt:

1. Peccatum agnoscere & erubescere.
2. Dolorem de peccato excitare, illudque detestari.
3. Propositum firmum concipere, ac peccatum emendare.
4. Confessione sacramentali peccatum expiare.
5. Pro delictis divinæ majestati, orationibus,